

microscopica pulcherrima licet simplicissima sunt, confirmavit interim Vestram sententiam de generatione Xstall.

D<sup>n</sup> Dacosta judæus jam diu in edenda Historia fossilium lingua Anglica laborat, egregiam certe mineralium collectionem possidet aut possedit, nam hodie propter æs alienum incarceratus est, sed est collectio in manibus amici, ita ut partibus possit uti, est certe in sua provincia non leviter versatus, et species plures quam ullus alius nobis dabit.

D<sup>n</sup> Hill famosissimus Angliæ hist. naturalis jam est in pessimo statu, nullum credo mortalium cum majori audacia et ignorantia scripsisse, excusari tamen potest, nam debuit vivere, ergo debuit scribere.

Habui literas ex 24 martii a D<sup>n</sup> Gronovio, incipit jam ex gravissimo morbo convalescere, præfatio ad Floram Rauwolfii et ejus vita ad prelum parata est, cet.

Bene valeo inter Anglos, quorum humanitatem laudare debeo, sed initio mensis junii proximi ero Parisiis. Salutes quæso conterraneos meos in species D<sup>n</sup> Holm. Dab. London 7 april. 1755. \*)

(18)

Viro Illustri

Carolo Linnæo

S. P. D.

P. Ascanius

Mea certe memoria nec excidisti nec excidere potuisti, Vir Illustris. Interim cum à proposito, ut ad Te scriberem per varios annos varia avocavere, gratissimus mihi fuit tuarum literarum adventus, quæ tuam erga me, cujus varia olim documenta habui, benevolentiam ulterius confirmant.

Iucundum mihi est, quod herbæ ex Hollandia olim missæ placuere, tum temporis Botanicen colebam cum reliquis Hist.

\*) Dette Brev er oversat paa Engelsk i: A Selection of the correspondence of Linnæus, and other naturalists, from the original manuscripts. By Sir James Edwards Smith, M. D. F. R. S. &c. &c. President of the Linnæan Society. In two volumes. Vol. II. London 1821. p. 479—483.